



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt ab episcopis aliena parochia minimè peruadatur. lxxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

à populis, nec ab episcopis necessitate compulsus. Maneat autem in Ecclesia quam primitus à Deo sortitus est, nec inde transmigret, secundum pristinum terminum de hac re constitutum.

*De presumptione alienæ diœcesis. Cap. LXXIII.*

**S**I quis episcopus non rogatus de alia prouincia in aliã *Ex epist. Bonifacij papæ.* venerit, præsumptiuè irruens ad ordinationem, & constitutionem clericorum, & ad ea quæ ad illũ non pertinent, importunus existat, vacua sint & inania omnia, quæ ab eo fuerint constituta. Ipse autem digna increpatione excommunicetur, & abominetur à sancto concilio.

*Ne episcopus sua ciuitate despecta, ambitus causa ad aliam transeat. Cap. LXXIII.*

**S**I quis autem episcopus ciuitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem se plebem quacunque ratione transtulerit, à cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: vt nec illis præsideat quos per auaritiam concupiuit, nec illis quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri. *Ex decre. Leonis papæ. ca. 38*

*Vt ab episcopis aliena parochia minimè peruadatur. Cap. LXXV.*

**E**Piscopo non licere alienam parochiam propria relictã peruadere, licet cogatur à plurimis, nisi fortè quæuis eum rationabilis causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profecto prospicere. Et hoc non à semetipso pertinet, sed multorum episcoporum iudicio, & maxima supplicatione perficiat. *De canonibus apost. tit. 14*

*De eadem re. Cap. LXXVI.*

**S**acerdotes verò vice Christi legatione funguntur in Ecclesia, & sicut ei sua est coniuncta sponsa, id est, Ecclesia, sic episcopis iunguntur Ecclesiæ, vnicuique proportionem suam: & sicut vir non debet negligere vxorem suam, sed diligere, & castè custodire, & amare, atque prudenter regere: ita & episcopus debet Ecclesiã suam. Et velut vxor quæ sub manu est viri, obedire debet viro suo, eumque *Ex epist. Enaristij papæ, fratribus per Aegyptũ directa. cap. 4.*